Quodlibetaria Quæstio agitanda In Scholis Medicorum die 4ª Decembr.

M. Thoma de Cuilly Moderatore.

An Impuris Corporibus à Nutrimento Læsio?

Humores quatuor animalium sanguine præditorum Elementa, debitam quantitatem & qualitatem à Natura præscriptam dum servant animal sanum reddunt, qui si æqualiter aucti sint, plethoram, ac tandem habitum athleticum gravissimis morbis opportunum pariunt, quibus phlebotomia remedium est præsentissimum; ubi vero pituita, vel alterutra bilis quantitate, aut qualitate peccat, Cacochymiam, cui purgatio debetur, adducunt, quæ si diutius in Corpore hæserit, Cachexiam inducunt.

Cacochymiæ duo sunt genera unum quidem nimius in quo humores supervacui immodice accumulati sunt, vel succi in sanguine iusta proportione non retinentur, alterum deterius in quo iidem humores à Naturali sua temperie in vitium prolapsi sunt, quod vel cum putredine coniunctum, vel citra putredinem infinita morborum genera producit.

In Cacochymiæ causis habentur partium coctioni servientium intemperies, alimenti vitium, Menstruorum, hæmorrhoidum, atque adeo omnis consuetæ excretionis suppressio, motus Corporis, & animi vehementes, vita otiosa, sanguinis & seminis nimia vacuatio, vigiliæ immodicæ, somnus immoderatus, anni tempora quæ quidem Cacochymiæ causæ, quanto Corpus paratius offendunt, tanto citius ipsum afficiunt.

Itaque Intemperantes sobriis: mulieres viris: pueri & senes Adolescentibus, Cacochymiæ magis sunt opportuni, omnium maxime qui e morbo convalescunt: atq; etiam ii quorum ventriculus, hepar, cor, cerebrum intemperie afficiuntur: vel in quibus excernendorum instrumenta minime suum officium faciunt.

Corpora Cacochyma si in morbum inciderint, iis alimenta pro varia virium ratione, & morbi natura exhibenda sunt, in acutis quidem morbis, victus tenuis, in diuturnis periculosus imperandus, in principio tamen paulo plenior, in viris ad vigorem usque perdurare quidem, in augmento tenuior, in vigore tenuissimus; quod si à morbo convalescant, cibi pauci, coctu faciles brevioribus intervallis exhibendi; vitatisque copiosis alimentis quæ vires ~~[illegible]~~ offerunt Cacochymiam augent et recidivos morbos pariunt Epicrasi utendum.

Est Igitur Impuris Corporibus à nutrimento læsio.

Proponebat Lutetiæ M. Nicolaus Cormeillius Bellonacus. M. D. L.